

LVNÆ DIE 17 M. OCTOBRIS A. 2011

A.d. XVI Kal. Novembres a. MMXI

I 6 4

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

IVXTA VIAM EGNATIAM (I6-23 IX 20II)

- scripsit Francisca Deraedt -

Regiones Balcanicæ, sive Hæmus, ut aiebant antiqui, cum e longinquo prorsus videantur esse mera... macedonia (sit venia verbo) si populorum linguarumque consideramus diversitatem, communem tamen participant cultum civilem a Græcis Romanisque hereditate acceptum.

Quam rem nos, decem latinistæ illic nuper ambulantes, cognoscere potuimus exemplo nobili, quamquam ridiculo, Alexandri Magni : clarissimus enim Macedo ubique tam ferventer honoratur, ut statuæ ei dicatæ enumerari vix possint. Est, sane, Græciæ septentrionalis heros maximus. Heros etiam est novæ civitatis Macedonicæ – quam mystagoga nostra Græca vocabat « civitatem cuius nomen non pronuntiabo », sed de his plura tempore suo – ; nonne enim Alexander fuit Macedo ? Sed insuper Albanix est heros, nam eius mater Olympias ex Epiro, scilicet hodierna Albania, erat oriunda.

I. ALBANIA : TIRANA, ELBASAN

Aeroplano de cælo descendente, prospectus præbentur attractivus : mare, montes, fluvii, natura aspera quidem sed sole transfigurata. Tiranæ aeroportus tam parvus est, ut videatur esse campus lusorius, sive, ut ait unus nostrum, ager solanorum. Pede in terra vix posito, iam statim experimur non omnia hic fieri sicut apud nos...

Oculis frustra quærimus tabulam « Melissa » inscriptam, qua mystagogus nos recipere debet. Feliciter habemus eius nomen et numerum telephonicum ; conamur ergo eum compellere, etiam frustra. Tum nos, qui magis magisque præbemus aspectum gregis ovium perditarum, adit quidam, rogans num simus Helvetii, quos cum tabula « Mimosa » inscripta frustra exspectavit. Paulatim intellegimus hunc virum esse nostrum, etiam si neque nomen, neque numerus telephonicus congruit. Restat ut prænotatam rædam inveniamus, quod fit sine nimia difficultate ; Gaius gaudet vehiculum videns novum et commodissimum, necessario fabricationis Mercedes, cum in Albania autocinetæ fere omnia sint huius generis. Hæc est memoria temporis communistici, quo nemo autocinetum habebat nisi divites communismi præcones, qui fabricationem nomine Mercedes plurimi æstimabant. Rædarius autem, Macedo, primum videtur satis morosus ; mox tamen intellegemus causam esse communicandi difficultatem, cum nihil loquatur nisi Macedonice. Deponimur ante deversorium ; iterum mirabile : non est nostrum ; sunt enim duo eiusdem nominis.

Mystagogus nos postea ducit ad urbem et museum archæologicum. Tirana, septimo decimo sæculo ab



Platea Skanderbeg cum eiusdem statua equestri.

Othomanis condita, anno demum 1920 facta est Albanix urbs caput. Ab anno 1930 rex Zog, iuvantibus Italis architectis, ei aspectum occidentalem dedit ; ubique miramur illius temporis architecturam Mussolinianam, tristem et severam. Ipsæ viæ et ædificia mediæ urbis dicuntur delineare ingentem fascem, insigne Italarum fascistarum, de cælo fortasse adhuc visibilem.

Plateam præcipuam petimus, ab heroe nationali Skanderbeg vocatam ; ibi cum sempiterna fiant opera structoria homines ambulat pulvere convoluti. In medio, ut decet, posita est herois magna statua equestris ; ille Skanderbeg sive Georgius Castriotus (1405-1468), nobilis adulescens Sultano datus ut obses, in aula Turcica educatus milesque factus, titulum acceperat Iskander Bey, unde nomen Skanderbeg ; postea relictis Othomanis factus est christianorum defensor moxque Albanix dominus. In eadem platea, præter horribile Palatium Culturæ, visu digna est parva meschita Et'Hem Bey, intus et foris pulchris picturis ornata. Hac occasione novam rem audimus mirabilem : in Albania, aliter ac in toto (nisi fallor) orbe terrarum, nulla est de religione contentio : vulgo fit, exempli gratia, ut uxor sit christiana, maritus mahumetanus et filius orthodoxus. Ceterum homines parum sunt religiosi, et mahumetani nequaquam abhorrent a raki, nationali potione alcoholica.

In propinquo est Museum Nationale Historix ; cum claudatur hora quinta, mirum in modum mystagogus nos illuc ducit hora sexta et dimidia. Custos ianuam aperit sine ulla difficultate, lumina accendit et ecce nobis offertur lustratio privata. Cum agitur de patriæ historia, sunt incredibiliter loquaces. Etiam de

minimo poculo præhistorico, dum sit Albanicum, videntur gloriari. Inter alia tamen pulchra antiquitatis vestigia ibi videmus, et, in cæco diligenter clauso, icones cuiusdam clari artificis, Onufri nomine, qui sæculo sexto decimo floruit.

Mystagogus mihi iucundum librum præbuit hunc : Anne RODI, *Regards croisés sur l'Albanie*, Tirana, Emal, 2010. Qui non solum loca visu digna lectori proponit, sed etiam scriptorum eclogas variasque de Albanorum vita narratiunculas. Subridens ea lego, quæ auctrix narrat de platea Skanderbeg a nobis nuper lustrata : tempore dictatoris Enver Hoxha, omni mane tota urbs in ea platea congregata artem exercebat gymnasticam, quod spectaculum administri publici de fenestris contemplari debebant. Officium prætermittere licebat, gymnasticam non licebat. Iisdem temporibus in urbe erat vicus « Civitas interdicta » cognominatus, ubi vivebat nomenclatura, quæ dicebatur, id est regiminis præsides. Annis 1970, ut aiebant, quo pulchriores fiebant domus in hoc vico, eo miseres fiebant habitationes in reliqua urbe. Et anno 1990, cum orta est seditio, Civitas interdicta se machinis bellicis defendit a populo suo dilectissimo. Hæc aliaque in eo libro cogitabunda lego.

Urbem iam postero die relinquimus, montes petituri. Per rædæ fenestram mystagogus nobis duas turres gemellas ostendit, quæ, vix credas, nemine de coincidentia sollicito inauguratæ sunt die II m. Septembris a. 2002 et vocatæ « Twin Towers ». Postea tamen, mirantibus Americanis, compertum est eas exstructas esse a tromocratis consociationis Al-Qaida ; qui in carcerem coniecti sunt et ædificia confiscata.

In suburbio mulier quædam ambulat cum vacca et capra sua. Sic, ut audimus, illic vivunt homines : lacte duarum triumve vaccarum, quod ad vitam sustentandam caseumque *feta* conficiendum sufficit, nec, propter malas communismi memorias, quicquam audire volunt de societate cooperativa. Senes domi manent cum puerulis, dum iuvenes quocumque (sed maxime Bruxellas) emigrantes pecuniam variis, ut ita dicam, commerciis colligunt domum postea reportandam.

Et cum de domibus agatur, ubique iuxta viam miramur domus imperfectas. Mystagogus explicat Albanos summum habere sensum proprietatis privatæ ; oportere domum possidere et autocinetum, potissimum fabricationis Mercedes ; parentes etiam de liberis gloriari velle ; itaque, si vicini domum habeant duorum tabulatorum, filio tuo exstruendam esse domum trium tabulatorum. Inde multas habitationes manere imperfectas, deficiente nervo belli.

Urbs *Elbasan*, ad quam nunc pervenimus, antiquitus vocabatur Mansio Scampa. Ibi annis 1960-70, iuvan-

tibus Sinensibus, exstructa est ingens fabrica metallurgica, in qua laborabant decem fere milia operariorum. Hi homines undique oriundi vespere per urbem errabant, irritati pessimis vitæ condicionibus, crebris calamitatibus, labore periculoso, fame, fatigatione. Cælum obnubilatum erat fumis toxicis, propter quos multi pueri nascebant infirmi. Fama ferebat puellas, quæ virginitatem ante matrimonium perdidissent, a patre dei in urbis puteos, unde earum clamores viatores terrebant, ut narrat Bessa Myftiu in opere c.t. *Ma légende* (1998). Hodie fabrica manet derelicta valdeque ruinosa.

In media veteraque urbe visimus effossiones archæologicas basilicæ Byzantinæ, arcem, meschitam septimi decimi sæculi, ecclesiam orthodoxam quinti decimi sæculi cuius sacerdos nos affabiliter accipit verbaque facit de novissimis ecclesiæ catholicæ scandalis, quæ, ait, non accidissent si sacerdotibus permitteretur matrimonium. Infeliciter picturæ parietales fere omnes tempore dictaturæ sunt deletæ, cum ecclesiæ factæ sunt stabula militaria. Paulo longius unicum exemplum veteris architecturæ domesticæ nobis monstrat quantum urbes olim fuerint pulchræ ; hæc domus nunc facta est museum ethnologicum. In via levem audimus musicam, coloribus orientalibus tinctam, quam mystagogus dicit propriam esse huius urbis.

Iter ad Macedonicum limitem pergentes, consistimus ad veterem pontem inspiciendum, qui pæne unicum est vestigium antiquæ Viæ Egnatiæ. Huc maiores periegetarum turmæ numquam ducuntur, arta et salebrosa semita impeditæ ; felices ergo sumus !

In limite valedicimus mystagogo Albano, quem in Albaniam redeuntes, sub finem itineris, libenter revidebimus.



Pons Viæ Egnatiæ.

II. MACEDONIA : LACUS OCHRIDÆ, MONASTERIUM SANCTI NAUM, OCHRIDA, HERACLEA LYNCESTIS, BITOLA, SCUPI, STOBI


Macedoni mystagogo tradimur victimæ, viro senescenti et, ut mox comperiemus, stolido, ceterum vere affabili, sermone autem singulari, simul Babylonico simul macaronico, quo nobis, saltem initio, excitatur hilaritas.

Lacus Ochridæ, in limite situs inter Albaniam et Macedoniam, pertinet ad Patrimonium Mundanum Humanitatis. Numeratur enim inter raros lacus præhistoricos, qui adhuc supersint, ut lacus *Titicaca* in America meridionali et lacus *Baikal* in Asia centrali ; qui, immutati ab ævo tertiariorum, sub aquis adhuc servant faunam antiquissimam.

Sumpto rudi prandio, navem conscendimus nobis solis reservatam, quæ nos ad monasterium sancti Naum est vectura. Ambulatio duarum horarum, sole splendente, est iucunda ; fiunt colloquia, quies, etiam ballatiuncula. De nave in ripa videmus nonnullas ecclesias, carcerem Turcicum in rupina, fictum vicum præhistoricum, lautissimum deversorium nostrum, vilam generalis Tito.

Monasterium sancti Naum in tota Macedonia maxime est frequens. Non solum fideles, sed etiam periegetæ alliciuntur pulchritudine loci, architectura Byzantina historiaque monasterii. Sæculo decimo exstructum est a sancto Naum de Preslav, illic clarum, dein semper auctum usque ad sæculum sextum decimum. Intramus parvam ecclesiam fidelibus refertissimam, qui icones ferventer basiant innumerosque schedinummos ubique deponunt.

Sub vesperam autoræda petimus deversorium ad ripam lacus Ochridæ optime situm, quinque stellis



In ecclesia monasterii sancti Naum.



Ochridæ vetus oppidum.

præditum, splendidum si præconiis credimus. Læti intramus... o stuporem, in ædificium ingens quidem et elegans, sed severissimum, adhuc ornatum ut fuit tempore communistico, quo solis regiminis optimatibus licebat vitæ frui deliciis. Insuper præter nos vacuum, aut pæne, ut videamur esse in imis orbis limitibus destituti. Cubicula monachalia, obscura, binis lectulis prædita, balnea vetera munereque suo laboriose fungentia. Ministri tam rigidi quam atrii columnæ. Ne quid dicam de cena, in qua primum ferculum apponitur ante propoma, ac placenta tam diu desideravit emptorem, ut sapor pulveris eum superet socolatæ. Hoc est itinerari !

Postero mane, quamvis multa sint eodem die videntia, mystagogus nos tamen dictatorie trahit ad invisendum tructarum vivarium, quod ei magni momenti esse videtur, nobis autem multo minus. Hoc curiositatis defectu suboffensus, gregem nostrum tandem ducit ad vetus oppidum *Ochrid*, sive Ochridam.

Museum archæologicum non multa continet, sed instructum est in vetere decoraque domo lignea, in qua etiam ostenditur undevicesimi sæculi tradita supellex. Hæ ædes aliquando pertinuerunt ad divitem quandam familiam, nomine Robev, Valachæ originis.

Lustramus ecclesias nonnullas, imprimis eam sanctæ Sophiæ, undecimi sæculi, sancti Nicolai quæ olim fuit gerontocomium, ut mos videtur in illis regionibus fuisse, sancti Clementis cum iconum museo. Denique effossiones archæologicas et theatrum Romanum, quod mystagogus obstinate affirmat esse amphitheatrum. Post prandium antiquam urbem petemus Heracleam Lyncestem, ubi idem alia eiusdem farinæ mirabilia narrabit... ☞

(Continuabitur)

‘DE FELE OCREATA’

SIVE DE CAROLI PERRAULT APOLOGO

LATINE QVEM VERTIT FRANCISCVS ANDRIEUX (1759-1833)

– scripsit Theodericus Sacré –

Qui ad Francogallicas animum adicere solent litteras, eorum complures fando audivisse puto nomen Francisci Andrieux; id vero ad aures venisse eorum, qui Latinitatis recentioris auctoribus incumbunt, vix adducor ut credam. Namque fabulas ille quidem dedit Gallice conscriptas, quæ dum vivebat plausu sunt exceptæ, postquam vivere desiit in oblivionem, nisi fallor, paulatim ierunt, at Latine tam pauca, quantum scio, scripsit (unico excepto carmine necnon apologo eo de Gallico sermone in Latinum translato, quem mihi libet denuo proponere), fere ut neglegatur a viris Latine doctis litterarumque neolatarum studiosis.¹ Itaque vix decet scriptoris Gallici vitæ fusius enarrandæ heic me immorari; verbo satis est rem absolvere: natum esse Franciscum Gulielmum Iohannem Stanislaum Andrieux in urbe Argentorato anno 1759; maiorem vitæ partem Lutetiæ Parisiorum egisse; cum munera quædam publica gessisset et comædias aliquot aliave opera Gallica divulgavisset, in Academiam Francogallicam esse cooptatum (anno 1802); adolescentium ingenia expolivisse cum in Schola Polytechnica (‘École Polytechnique’, 1804-1816) docendo, tum in Collegio Francogallico (‘Collège de France’, inde ab anno 1814); veterum linguarum adeo fuisse amantem, ut et linguam Græcam, quam adolescens addidicisset, septuagenarius repetierit impigerimus² et Latina opera vel sua memoria vel paulo superiore publicata senex legere perrexerit;³ ultimum diem obiisse Parisiis anno 1833.⁴

Felem autem ocreatam, quam Carolus Perrault (1628-1703) præclaro libro, c.t. *Contes*, insertam, Gallice divulgavit, quo tempore Franciscus Andrieux civitate donaverit Latina nobis non constat; ex ipsius autem interpretis adnotatiuncula quadam intellegitur id eum sibi proposuisse, cum sese ad rem accingeret, ut haberent discipuli aliqui, quos domi suæ Latine erudiendos aliquando suscepisset, quo sermone Romano, dum melle fabulæ notissimæ allicerentur, evaderent quasi per ludum doctiores. Versio ea anno 1816 primum est typis excusa, quippe quam Iosephus Nicolaus Barberius Vémars eius anni mense Sextili commentariis a se conditis rectisque, q.t. *Hermes Romanus, ou Mercure latin*, curaverit includendam.⁵ Eadem deinceps in lucem est edita bis: semel enim Operibus Francisci Andrieux selectis est adiecta anno 1823;⁶ iterum prodiit Remis anno 1910 a præceptore nescio quo retractata.⁷ Ipse autem statui ab altera editione ne transversum quidem unguem discedere, utpote quam ipse curaverit interpret; de tertia autem, in eunte sæculo XX emissa, hoc tantum dicam, enisum esse probum illum editorem ut verba verborumque structuræ ab

emendatissimis Latinitatis aureæ regulis minime distarent; inesse emendatæ huic editioni quæ grammaticorum more iudicantibus laudanda videri possint adolescentibusque commendanda;⁸ tamen aliud esse, id quod ipsi grammatici veteres contenderunt, grammaticæ loqui, aliud Latine; itaque novissimam editionem aptam eam quidem esse quæ intra parietes scholasticos prælegatur, at eodem tempore sucum, nervos, immo vitam esse fabulæ nescio quomodo adeptam: versionem primigeniam talem esse ut thesauro litterarum neolatarum iure addas; retractatam vero fabulam, narratiuncularum instar ad tradendam rem grammaticam idonearum, esse quodammodo sterilem, exsanguem, semivivam. Quo autem facilius versiones inter se possent conferri, emendationes eas novissimæ editionis in apparatus criticum reiecit addito sigillo ‘C’; singulis præmisimus lectiones primæ editionis (‘A’ littera munitas) et alterius (‘B’ nota instructas), quæ fere semper consentiunt inter se; nam Andrieux versionem quam ad *Hermetis Romani* moderatorem anno 1816 miserat divulgandam, anno 1823 non nisi tribus locis leviter immutavit. Ceterum textum in paragraphos divisimus, rubricas vero Gallice intermixtas, quas fere similes exhibent editiones prima et tertia, prætermisimus.

Feles autem a poetis sæpe decantatas esse diximus cum carmen iocosum de catto supplicio affecto *Melissæ* legentibus proponeremus; neque eadem a solutæ orationis auctoribus minus sunt descriptæ, recentiore præsertim memoria, sæculo dico vicesimo. Longum est autem singulas narrationes felineas afferre; tres ego tantum attingam. Ac primum quidem iuvat me *Tacitum cattum* laudare, quem anno 1997 Mercedes Gonzalez-Haba Saraviponti typis curavit evulgandum. Qua narratiuncula loquens inducitur cattus fere humanus; namque e ludo litterario disciplinaque senioris nescio cuius cati prodiit. Itaque suos ipsius ille mores depingit idque tam lepide, ut garrulum eum appareat esse atque e plebecula natum; nam sermo quoque eius ad plebeium proxime accedit, qualem in *Trimalchionis cena* exhibuit Petronius. Hinc risum movet cattus, legentium admirationem facile habet auctrix opellæ. Longe autem diversa est narratio quam Humbertus De Franco anno 1963 scripsit, inscripsit *Zizzi*:⁹ qua ipse dominus felis, quæ *Zizzi* nomen habet, mores vitamque describit a pueritia ad mortem usque: nam pullum felineum pæne moribundum domum suam intromiserat scriptor. Crevit mox animalculum cattusque evasit idemque felium amator indefessus; nam secus atque maior virorum pars mœchissat *Zizzi*, cattus ‘venerivagus’ (p. 46) domoque sæpius absens Fulviam

suam diutius deserere solet. Unus autem e filiis, cui nomen Ciuci, domino magis adhæret : nam « Sæpe legenti vel exaranti libros vel ludicra televisiva spectanti dormitans mihi adstat Ciuci : me in sinu foventem limis ocellis interdum respicit ; repente surgit ac, distentis cruribus, instar cameli arcuatus terga, oscitat late diducens rictum » (p. 44). Pater autem morbo correptus periit, mærente domino. Hæc omnia subtiliter et copiose, venuste atque curate scripta ab Humberto De Franco. Tamen in hoc genere Iosepho Morabito (1900-1997) palmam deferre non dubitem, *Novi gravitatis magistri*, narrationis anno 1955 foras editæ auctori,¹⁰ cuius vestigiis Humbertum de Franco octo post annis ingressum esse liquet. Namque in Morabiti narratione id me movet, quod subtili cavillatione utitur, fictis de se rebus vera admiscet, scriptorum veterum dogmata ad res levissimas accommodat et, cum felis ita texat laudes ut oratores humanisticos imitetur, qui canes muscasve, immo et ebrietatem aliaque id genus mirabilia contra hominum opinionem laudaverint, tamen rhetorum ampullis supersedet ac ioca seriaque egregie temperat. Pullum felineum forte offendit scriptor, domum asportavit, feliciter aluit. Gratum itaque animum numquam non præbet feles, hac re a doctorum discipulis diversa longe : « Mea quidem [feles] mihi domum redeunti obviam veniebat, haud tamen prope ranter, non quod provolare ipsa nesciret, sed ne quid antiquæ dignitatis amittere putaretur. Atqui numquam hoc salutandi genus prætermisit ; numquam me revertentem benigne excipere posthabuit, ut nonnulli discipuli facere consueverunt, qui, dum sub tua disciplina sunt, ubi tibi forte obviam iverunt, capita leviter flecentes salutes dicunt, festis diebus suas chartulas variis coloribus exornatas omnia bona ominantes numquam mittere obliviscuntur ; ubi vero, tua mente quandam partem imbuti, e ludo sunt dimissi nec tuo arbitrio subiacent, ut si Lethæo flumine sint lauti, non solum te penitus negligunt, sed, si qua sors tibi imprudentes impexit, vel, ut si te numquam viderint, capita ignari avertunt, vel, in te quidem oculis raptim conversis, tumido pectore sublatoque ore, ne verbo quidem dicto, prætereunt. » (p. 16) Feles ergo, ut adulescentibus anteposenda videtur esse, ita et canibus præstabiliior putanda ; nam et hi vel Veneris iocos palam ostentant, cum eis illa, pudicum genus, indulgeat in tenebris abscondita ; hi vesicas exonerant nulla adstantium ratione habita, illa munditiarum amans, pudoris non immemor, facta fossula obtegat quicquid vel urinæ vel excrementi reddidit. Iam hoc est animalis ingenium : « Feles non luget non ridet non lætatur non dolet : ipsam gravitatis imaginem dicas eamque merito opineris ut Epicurum



edita sapientiæ templa, unde omnia despiciere queat, tenere resque omnes contemnentem, ex Horati præcepto, quiescere et carpere suum diem. » (p. 25) Accedunt mores bestiolæ singulares aptissime depicti : « Parvum igitur speculum ita in medio conclavi, in quo feles erat, posui, ut staret. Rem feles limis oculis vidit, sed in præsens parvi fecit suisque cogitationibus intenta perstitit. Paulo post descendit et ad speculum lente accessit ; ubi vero in eo alia feles cœpit apparere æque bella intentisque oculis defixa, constitit veluti quæ illa esset quæritans ; illa quoque quæritans constitit. Mea propius accessit, cumque illam propius accedentem conspexisset, subito gaudio tacta hospitem benigne accipere est visa ; ea quoque benignitatis officio non defuit, naresque fere iunxerunt ut dulce osculum sibi darent. Risere meæ oculi illiusque statim oculi riserunt novaque luce micuerunt. Pediculo quidem feles, ut inter amicos manibus fieri solet, amiculam mulcere est conata nihilque nisi vitrum tetigit, quamquam et illa idem facere conabatur. Ne multa : centum lusus hinc, centum illinc, dum, arbitrata amiculam post speculum latere, pediculum iocandi veluti causa post speculum arreptura portendit nullamque attigit. Ut si exspectatione magna esset decepta, rem suis oculis voluit videre, cumque nihil invenisset, constitit parumper, deinde gravis mæstaque abiit. » (pp. 23-24)

At eo ut redeamus, unde sumus digressi, exscribamus *Felem ocreatam* sæculo XIX^o ineunte Latinitate donatam.

FELES EMUNCTÆ NARIS, SIVE FELES Εὐκνήμις, ID EST, BELLE OCREATA

1. Pistrinarius quidam moriens tribus suis filiis reliquerat modicas opes, pistrinum scilicet, asellum et felem. Haud longa fuit hæreditati dividendæ mora; caverunt fratres ut avida gens tabellionum et pragmaticorum abesset, a quibus citius devorata fuisset patrimonii exiguitas. Maximus natu pistrinum habuit; alter suum fecit asellum; tertio feles tantum obtigit.

2. Hic se ipsum consolari nequibat, qui tantulam hæreditatis partem sortitus fuisset: « Fratres mei », inquit, « dum societatem inter se ineant, sustentare vitam poterunt honesto quæstu; mihi vero, postquam meam comederò felem et ex illius pelle manicam hibernam confecero, fame et inopia pereundum erit. » Quæ cum audiisset feles, quamquam auribus nihil accepisse et aliud agere consulto simulabat, sic herum compellavit vultu serio et gravi: « Here mi, quæso, ne plus æquo doleas; sed cura tantum ut mihi detur saccus et consuantur ocreæ, quarum ope possim per dumos, salvis tibiis, vagari; et iam iam cognosces te in hac hæreditatis partitione non omnino fuisse læsum. »

3. In his verbis herus parum posuit fiduciæ, quamvis sæpius vidisset felem innumeris artibus et dolis ad capiendos mures ac sorices callide et feliciter usam, sive se a laqueari pendulo capite demitteret, sive se in farina tamquam mortuam sepeliret; aliquid tamen inde sibi fore auxilii e genus iuvenis non desperavit.

4. Ubi prompta fuere quæ feles petiverat, sese subdola strenue ocreavit ac demisit e collo saccum cuius funiculos pedibus anticis retinebat. Sic composita et vivarium quoddam ingressa cuniculis refertum, furfurem et sonchos hianti sacco ingessit; ergo se humi sternens veluti exanimem expectabat donec aliquis iunior cuniculus rerum huiusce vitæ ac fraudum nescius ciborum nidore in saccum illiceretur. Vixdum erat in excubiis, cum illius malignam spem non fefellit exitus; quidam enim inconsultus et petulantior cuniculus saccum ingressus est. Astuta vero feles, funiculis simul adductis, excepit incautum et necavit illico.

5. Præda superbiens feles recta ad regias ædes pergit rogatque ut sibi regem adire liceat. Introducta in remotius cubiculum post plurimas et obsequiosissimas salutationes « Rex invictissime », inquit, « hunc tuæ maiestati cuniculum, munus amoris et fidei indicium, dominus marchio a Carabas (nam hoc hero nomen affingere feli collibuit) per me e suo mittit vivario. » – « Here tuo renuntia », respondit rex, « hoc mihi munus videri acceptissimum et me ipsi cumulate gratias agere. »

6. Rursus in alta et luxurianti segete sese occultavit feles, saccum tenens apertum; quem cum par perdicum intrasset, funiculos propere strinxit et una duas sibi habuit. Captas regi obtulit eodem modo quo cuniculum obtulerat. Perdices quoque rex accepit libenter et iussit aliquot ex ærario suo feli nummos erogari, unde largitionis memor læte potitaret. Sic duobus aut tribus mensibus prædam venaticam ab hero ut prædicabat exceptam



I. Pistrinarius: pistor C | moriens: *omisit* C | reliquerat modicas opes: fortunas legavit modicas C | scilicet: *omisit* C | asinum: asellum C | et felem: felemque C | Haud longa... mora: Brevi divisa est hæreditas C | caverunt: caverunt enim C | ut... abesset: ne in partitione avidum genus scribarum publicorum interesset C | a quibus: a quibus res diu nimium ducta esset C | devorata... exiguitas: totumque devoratum patrimonium exiguum C | asellum: asinum C 2. se ipsum: se ipse C | nequibat: non poterat C | sortitus fuisset: sortitus esset. Hæc fere secum mussitabat C | Fratres mei, inquit: Fratres C | sustentare... quæstu: honesto quæstu vitam poterunt sustentare C | et ex... confecero: et eius pelle contra vim frigoris vestem ornavero C | pereundum: intereundum C | audiisset: audivisset C | quamquam... simulabat: quamquam se nihil audire consulto simulaverat C | compellavit: allocuta est C | ne... doleas: noli plus æquo dolere C | quarum ope: quibus C | possim: *omisit* C | tibiis: cruribus C | vagari: vagari queam C | et iamiam: et brevi C | hac: *omisit* C | fuisse læsum: læsum esse C 3. In his... fiduciæ: His verbis herus non multum confisus C | quamvis: etsi C | vidisset: viderat C | a [e B] laqueari... demitteret: posterioribus pedibus e laqueari suspenderat C | sepeliret: sepeliverat C | sibi fore auxilii: auxilii fore C 4. Ubi prompta fuere: Ubi parata sunt ea C | sese... ocreavit: sibi ocreas celeriter induxit C | ac... saccum: et saccum ad collum deligavit C | anticis: prioribus C | composita: ornata C | hianti sacco: in saccum hiantem C | Ergo... exanimem: Deinde humi prostrata tamquam exanimis C | expectabat... cuniculus: exspectavit dum cuniculus aliquis iunior C | nescius: inscius AC | ciborum... illiceretur: in saccum alliceretur C | Vixdum... excubiis: Vix erat in statione C | cum... exitus: cum ad eius spem respondit eventus C | et petulantior: *omisit* C 5. superbiens: glorians C | recta: recto itinere C | pergit: tendit C | in remotius cubiculum: in atrium C | post... salutationes: postquam regem etiam atque etiam salutavit C | Rex invictissime... cuniculum: Hunc tibi, rex invicte, cuniculum, inquit C | munus amoris: pignus amoris C | dominus: dominus meus C | nam hoc hero: hoc enim hero C | e suo: ex suo C | Hero... rex: Cui rex: « Here tuo renuntia C | videri acceptissimum: esse acceptissimum C | ipsi cumulate: illi maximas C 6. Rursus: Alias C | luxurianti: luxuriosa C | occultavit feles: feles occultavit C | intrasset: esset ingressum C | propere strinxit: citissime adduxit C | et una... habuit: et semel utramque sibi habuit C | Captas... obtulerat: Has

regi vafra feles subinde dono dare non omittebat.

7. Quadam autem die, cum audivisset regem in fluminis ripa deambulaturum cum filia, regiarum virginum longe speciosissima, sic herum commonuit : « Siquidem nostro consilio uti volueris, amplissimam rem tuam feceris. I tantum lavatum in ea fluminis parte quam tibi monstravero et meo arbitrio permitte cetera. » Marchio felis dicto obœdiens fuit, quamquam ignorabat quorsum res evaderet.

8. Dum lavabat, rex illac forte transiit ; statim feles voce maxima clamitare cœpit : « Adeste, adeste, cives ; ferte opem, ferte auxilium, dominus marchio a Carabas aquis præceps rapitur. » Quibus clamoribus excitus rex e ræda caput protulit et agnita fele quæ sibi toties munera venatoria adportaverat imperavit ut corporis sui custodes quam celerrime marchioni subvenirent.

9. Dum ab aquis uvidus retrahebatur, feles ad rædam accedens narrat regi heri lavantis vestes a latronibus fuisse subreptas, etsi tota voce « Tenete fures, tenete fures ! » clamaverat ; revera eas saxo occuluerat clanculum.

10. Rex statim iussit a vestiarii sui ministris unam e suis ipsius splendidissimam tunicam affferri, qua indueretur nobilissimus marchio a Carabas plurimaque addidit amoris in eum et benevolentiaë indicia. Vestium nitor iuveni, ut erat facie eximia et forma eleganti, tantum decoris et venustatis conciliavit, ut virgini regiaë admodum placeret ; in quam simul atque marchio cum summa quidem reverentia necnon cum quadam amoris significatione bis terve oculos coniecit furtim, puella

eum perditæ adamavit. Pater marchionem ascendere regiam rædam voluit ambulatiunculæ comitem.

11. Feles exultans quod consilium suum tam feliciter succedere inciperet celerrimo cursu rædam prævertit ; et cum incidisset in quosdam rusticos pratum cædentes, « Heus », inquit, « rustici, qui pratum cæditis, nisi dixeritis regi hoc pratum esse domini marchionis a Carabas, quotquot estis frustillatim in minutal omnes concidemini. »

12. Rex circumspiciens rusticos interrogavit cuiusnam esset pratum quod cæderent ; « Domini marchionis a Carabas », extemplo omnes una voce exclamaverunt ; nam felis ocreatæ minis fuerant vehementer perterriti. « Næ tu », inquit rex, « pingui prædio frueris ! » – « Satis pingui, ut cernis ; », retulit marchio, « hoc pratum valde herbiferum et magni redditus quotannis est. »

13. Interea feles usque præcurrrens messoribus obiter inventis « Heus », inquit, « rustici, qui agrum metitis, nisi dixeritis regi totam hanc segetem esse domini marchionis a Carabas, quotquot estis frustillatim in minutal omnes concidemini. »

14. Neque multo post rex transiit et percontatus est ex messoribus cuiusnam esset tam læta seges ; « Domini marchionis a Carabas », responderunt messoris ; et iterum rex marchioni gratulatus est.

15. Rædam prægressa feles obvium quemque territando ad idem cogebat responsum, ita ut tot et tantas opes marchionis a Carabas rex obstupesceret.

16. Tandem pervenit feles ad nobile quoddam castel-

eodem modo quo cuniculum regi obtulit C | feli nummos : nummos feli C | unde... potitaret : quibus corporis recreandi causa aliquid vini biberet C | duobus... mensibus : duos vel tres menses C | regi... omittebat : vafra feles regi identidem dono dare non neglexit C 7. deambulaturum : ambulaturum C | speciosissima : formosissima C | sic : his verbis C | commonuit : præmonuit C | Si quidem : Si C | lavatum : lavandi causa C | in ea... parte : in eam fluminis partem C | monstravero : ostendero C | meo arbitrio : arbitrio meo C | permitte cetera : cetera permitte C | felis dicto... fuit : feli ad verba obœdivit C | quorsum... evaderet : quorsum id casurum esset C 8. Dum lavabat : Dum lavatur C | ferte auxilium : *omisit* C | dominus... rapitur : marchio a Carabas in aqua demergitur C | Quibus... excitus : Quo clamore commotus C | toties : sæpissime C | adportaverat : attulerat C | corporis... custodes : satellites C | subvenirent : opem ferrent C 9. Dum... retrahebatur : Dum autem ex aqua miser extrahitur C | feles... accedens : feles quæ ad rædam accesserat C | narrat regi : regi narrat C | vestes : vestem C | a latronibus fuisse subreptas : a furibus esse subreptam C | etsi... clamaverat : etsi ipsa tota voce clamasset : « Fures prendite ! » C | eas : eam C | occuluerat clanculum : furtim occultaverat C 10. vestiarii sui ministris : a servis vestiariis C | unam... ipsius : tunicarum suarum C | addidit : præbuit C | Vestium : Tunica C | eximia... eleganti : pulchra facie et forma eleganti C | conciliavit : addidit C | virgini... placeret : regis filiaë admodum placuerit C | cum summa... furtim : furtim, summa tamen cum verecundia, bis terve oculos coniecit C | puella... adamavit : puella eum cœpit amare C | ascendere : ascendere in C | ambulatiunculæ : ambulationis C 11. tam feliciter : tam bene C | rædam prævertit : ante rædam præcurrit C | cædentes : desecantes C | cæditis : desecatis C | dixeritis regi : regi dixeritis C | domini marchionis : marchionis C | frustillatim... omnes : in frustra minutissima, ut farcimen C 12. Rex : Non multo post rex C | cæderent : desecarent C | Domini marchionis : marchionis C | extemplo : confestim C | exclamaverunt : conclamarunt C | fuerant... perterriti : erant perterriti C | Næ... prædio : Tum rex marchioni : « Næ tu », inquit, « ferace prædio C | pingui : ferace C | retulit marchio : respondit ille C | valde... edit : multam herbam fructumque multum quotannis edit C 13. agrum : *omisit* C | dixeritis regi : regi dixeritis C | domini marchionis : marchionis C | frustillatim... omnes : in frustra minutissima, ut farcimen C 14. esset... læta seges : essent... lætæ segetes C |

lum, cuius dominus erat gigantea proceritate quidam pædophagus peritus artis magicæ et pædophagorum longe ditissimus; omnes enim agri quos rex pertransiverat illius castelli dominio serviebant. Feles sedulo sciscitata quisnam esset iste magus et quibus artibus valeret, rogat ut sibi liceat ipsum adire, præfata scilicet se iuxta castellum iter facientem officii sui duxisse ut dominum inviseret atque reverentissime salutaret. Magus felem tam urbane quam in monstrum cadit exceptam apud se quiescere iussit.

17. « Mihi a nonnullis », inquit feles, « affirmatum est tibi eam esse facultatem qua te ipsum in omnes animalium formas immutare possis, ita ut repente fias verbi gratia sive leo sive elephantus. » – « Vera prædicant », respondit magus voce aspera; « et ut credas oculis, leonem me conspicito. » Ita præsentem feram expavit feles ut ad tecta celeri fuga se proriperet, non sine labore et periculo, cum ocreæ prohiberent ne per tegulas secreta figeret vestigia.

18. Mox cum videret magum ad priorem formam rediisse, descendit feles et pavorem confessa, « Mihi rursus narraverunt », inquit, « et hanc fabulam omnino incredula audivi, te etiam minimorum animalium corpora prout lubet induere, videlicet muris, immo soricis; equidem fateor hoc mihi extra vires magicas omnes visum esse et etiam nunc videri. » « Nostrasne extra vires? », ait ille, « Iam rem compertam habe! », et statim conversus in soricem per cubiculi tabulatum

cœpit cursitare. Quem subito feles insiliens dentibus arreptum necavit voravitque.

19. Interea rex transiens, cum tam spectabile castellum animadvertisset, ingredi voluit; feles, audito strepitu rædæ per arrectarium pontem devectæ, regi obviam properat et « Auspicatissime », ait, « Tua Maiestas hoc ingreditur castellum domini marchionis a Carabas. » – « Papæ, o marchio! », exclamavit rex, « hoccine quoque castellum tuum est? Nihil usquam potest conspici pulchrius hac area et omnibus ædificiis quibus area cingitur. Interiores ædes, si per te licet, exploremus. »

20. Marchio regiæ virgini manum porrexit et regem secutus est qui prior incedebat. Magnum cenaculum intraverunt ubi lautas invenerunt epulas quas pædophagus amicis compluribus paraverat, qui ea ipsa die vocati castellum intrare non ausi fuerant, cum regem adesse rescivissent.

21. Rex denique egregiis marchionis dotibus valde commotus nec non filiæ amori indulgens, quæ procum deperibat, ratione item habita tot et tantarum divitiarum quibus marchio affluebat, postquam quintum vel sextum vini poculum hausisset, « Mi marchio », inquit, « si gener meus esse velis, per me non stabit quominus id fiat. » Tantum honorem, plurimis salutationibus gratum animum testatus, arripuit marchio et ante noctem regis filiam uxorem duxit.

22. Feles inter optimates regni adscripta soricibus deinceps nusquam insidiata est, nisi ut genio indulgeret.



domini marchionis : marchionis C | messorum : *omisit* C | gratulatus est : agri fertilitatem gratulatus est C

15. Rædam... responsum : Sic feles, rædam præcedens, quoscumque in agro offenderat, territando ad idem respondendum cogebat C | obstupesceret : demiraretur C 16. Tandem : Denique C | gigantea... pædophagus : manducus immani corporis magnitudine C | pædophagorum : manducorum C | agri... pertransiverat : fundi quos rex circummiserat C | illius... serviebant : ad illum pertinebant C | sedulo : diligenter C | quisnam : quis C | artibus valeret : polleret artibus C | liceat ipsum adire : eum liceat adire C | præfata scilicet : *omisit* C | se : se scilicet C | officii... salutaret : existimavisse suum esse officium dominum visere et summa reverentia salutare C | tam... exceptam : tam urbane exceptam quam a manduco poterat excipi C | quiescere iussit : iussit quiescere C

17. tibi eam esse facultatem : tibi eam inesse facultatem A in te inesse facultatem C | te... possis : te ipse in omnes animalium formas vertere queas C | verbi gratia : verbi causa C | sive leo, sive elephantus : leo vel elephantus C | respondit : ait C | voce aspera : voce parum suavi C | credas oculis : oculis credas tuis C | conspici-to : aspicio C | Ita... tecta : Leonem factum manducum ita pertimuit feles ut in tectum C | et periculo : ac periculo C | prohiberent... vestigia : ad incedendum in tegulis essent minime aptæ C 18. Mox : Paulo post C | rediisse : redisse C | pavorem : se expavisse C | prout libet : ut tibi libet C | equidem... mihi : hoc equidem mihi C | per cubiculi tabulatum : in areæ pavimento C 19. tam... animadvertisset : pulcherrimum animadvertisset castellum C | strepitu rædæ : rædæ strepitu C | per... devectæ : in ponte mobili currentis C | obviam : obviam ire C | auspicatissime : auspicio C | Tua Maiestas : Maiestas Tua C | ingreditur... Carabas : marchionis a Carabas castellum ingreditur | exclamavit : exclamat C | pulchrius hac area : hac area pulchrius C | quibus area : quibus ea C | exploremus : perspiciamus C 20. Regiæ virgini : Regis filiæ C | prior : primus C | pædophagus : manducus C | ea... die : in eum ipsum diem C | vocati... rescivissent : vocati, posteaquam regem adesse audierunt, in castellum introire non ausi sunt C 21. nec non... amori : et filiæ in eum amori C | quæ procum deperibat : *omisit* C | ratione... item habita : etiam ratione habita C | hausisset : exhausit C | per me... fiat : non impediam quin fias C | plurimis... testatus : maximis gratis persolutis C 22. inter adscripta : optimatibus regni adscripta est C | soricibus... causa : neque postea soricibus insidiata est nisi sui oblectandi causa C.

APPENDIX ET ADNOTATIONES

Iani Nicii Erythræi apologus de musculo, fele et gallo

Hic apologus offenditur in mythistoria c.t.

Eudemia, quam conscripsit Ianus Nicius Erythræus (sive Iohannes Victorius Rossi) (1577-1647), Latinitatis auctorum qui sæculo XVII floruerunt mea quidem sententia facile princeps. Apologi verba exscripsi ex editione Amstelodamensi anno 1645 emissa.¹¹ Verum, nisi fallor, fabellam non ipse excogitavit Nicius, sed aliunde sumptam veste exornavit Tulliana.¹²

‘Musculo, qui numquam lare familiari suo, hoc est, domestici parietis rimis egressus, lucem aspexerat, gallus ac felis, simul atque exiit, occurrerunt. Felis mansueta ac dormienti similis, quasi non vidisset, dissimulare, oculos interdum alio convertere, locum non relinquere, nullam vocem dare : contra gallus summa cum festivitate et maxima voce accurrere, obviam ei tendere, maximos ludos inire : musculus, ea voce ac forma perterritus, arrepta fuga, in penitissimam parietis sui partem se conferre. Forte domi mater aderat, quæ sic fugientem conspicata : « Quo te agis », inquit, « o fili ? Quid est, quod te exanimatum video ? » Cui musculus : « Perii, mater, oppido perii ! » Mater « Quid tibi est ? », ait, « Quid periisti ? » Cui tandem misellus « Mihi », inquit, « domo egredienti fit obviam animal nescio quod bipes, cristatum, plumis tectum, eiecta lingua, fluentibus buccis, ardentibus oculis, quod statim in me fecit impetum, credo, ut integrum devoraret. Sedebat ex adverso aliud animal, pellitum, placidissimum, videre velles, mater, vultu adeo mansueto, adeo venusto, ut nihil supra ; id loco se nihil movebat, sed oculos, modo graves somno paululum dabat, modo, siderum instar, lucidissimos alio detorquebat. » Cui mater « Quid audio ? », inquit ; « Hoc est illud animal, generi nostro adeo infestum, de quo ego tibi sæpe narravi ; neque aliud quicquam illa mansuetudinis simulatione spectabat, nisi ut te incautum opprimeret ; contra alterum illud, festivum ac petulans, effusissima ista lætitia ludos tantum iocosque tibi parabat. » Felis similitudine religiosus ille designatur qui linguam quidem continentem habet, sed manus promptas ad quodcumque facinus gerit ; in galli vero protervia eius libertas agnoscitur, qui linguam patitur interdum longius excurrere, mores autem facile semper tuetur.’

1. At interpretis Latini mentio obiter est iniecta libro c.t. Perrault, *Contes* (Parisiis : Éditions Garnier Frères, 1967), p. 136.

2. Cfr. *Œuvres choisies d'Andrieux précédées d'une notice sur l'auteur* par Charles Rozan (Parisiis, 1878), pp. I-XXIII.

3. Extat ipsius epistola ad Iosephum Nicolaum Barberium, *Hermetis Latini moderatorem*, Latine data anno 1816 Non. Sext. : ‘Correspondance’, *Barberii Hermes Romanus, ou Mercure latin (seconde édition)*, I (Parisiis, 1817), pp. 169-171, qua affertur locus iocosus delectus et Petri Danielis Huetii (1630-1721) *Commentario de rebus ad eum pertinentibus*.

4. Cfr. M. Citoleux, in *Dictionnaire de biographie française*, 2 (Parisiis, 1936), pp. 994-996 ; Andrieux, *Récits et anecdotes. Avec préface de Léon Chauvin* (Lemovici, s.a.), pp. IX-XII.

5. *Barberii Hermes Romanus, ou Mercure latin (seconde édition)*, I (Parisiis, 1817), pp. 137-144 (qui fasciculus Kalendis Augustis anni 1816 primum est divulgatus).

6. *Œuvres de François-Guillaume-Jean-Stanislas Andrieux (...)*, IV (Parisiis, 1823), pp. 517-523.

7. *Le chat botté (Feles ocreata). Conte de Charles Perrault mis en latin par Andrieux, de l'Académie française. Nouvelle édition revue et corrigée* (Durocortori Remorum : École Saint-Joseph, [1910]).

8. Nam in versione primigenia offenduntur verba quædam optimis ævi Tulliani scriptoribus aliena, veluti nomina substantiva ‘pistrinarius’, ‘tabelio’, ‘vestiarius’ ; item verba Plautina, ut ‘potitare’ et ‘frustillatim’, necnon veteribus ignota, sicuti verbum temporale ocreandi (quod inde a medio ævo sæpius legitur) et ‘pædophagus’ pro ‘manduco’ ; ‘pontem’ autem ‘arrectarium’ equidem non legeram antea, at defendunt lexica sæc. XVIII. In re vero syntactica quæ admisit interdum Andrieux, ea mihi sæculo XVIII exeunte usitatissima videntur fuisse, veluti ‘cum’ et ‘dum’ indiscriminam fere usurpata, modi coniunctivi frequentius adhibiti (cfr. 21 : ‘postquam ... hausisset’) et formæ coniugationis periphrasticæ minime raræ (‘devorata fuisset’, ‘sortitus fuisset’, et ita porro).

9. Cfr. *Certamen Capitolinum XIII – MDCCCCLXIII* (Romæ, 1963), pp. 37-47.

10. Cfr. *Certamen Capitolinum VI – MDCCCCLV* (Romæ, 1955), pp. 9-32.

11. *Iani Nicii Erythræi Eudemiæ libri decem* (Colonæ Ubiorum : apud Iudocum Kalcovium [immo Amstelodami apud Ianum Ianssonium], 1645), pp. 201-202 (sub finem libri IX). Apologus etiam legitur in mythistoriæ integræ transcriptione quam fecit Lina IJsewijn-Jacobs (additis nonnullis a Iosepho IJsewijn adnotationibus) quæque invenitur in interrete (*Retiarius*, I (1998), lib. IX.2, VIII, 16-22). Apologum ex fabula ea Romanensi excerptum denuo proposuere *Leçons latines modernes de littérature et de morale, ou Recueil, en prose et en vers, des plus beaux morceaux des Auteurs les plus estimés qui ont écrit en cette langue depuis la renaissance des Lettres*. Par M. Noël (...) et M. de la Place (...), I : Prose. Seconde édition (Parisiis, 1836), pp. 221-222 : *Le Rat, le Coq, et le Chat* (at ibi prima sententia leviter est immutata et desideratur epimythion).

12. Cfr. B.E. Perry, *Æsopica. A Series of Texts Relating to Æsop or Ascribed to Him or Closely Connected with the Literary Tradition that Bears His Name (...)* (Urbanæ, 1952), p. 707, num. 716 (cfr. etiam 716a ; apologum habet cod. m.s. Bernensis 679 ; cfr. L. Hervieux, *Les fabulistes latins depuis le siècle d'Auguste jusqu'à la fin du moyen âge*, II (Parisiis, 1883), p. 753, num. XL – cfr. etiam p. 425, num. XI) : ‘Mus et filia, gallus et catus. Mus instruxit filiam suam ne exiret cavernam. Quæ tamen exiit, et vidit gallum paleas cum pedibus removementem et clamantem plurimum. Timuit. Vidit etiam catum iuxta caminum ei lento gradu suaviter appropinquantem, et non expectans intravit cavernam tremens. [Quam] tremente[m] mater inveniens <causam quæsivit>, narravit quod viderat gallum quasi dyabolum, et catum quasi heremitam. Quæ ait : ‘Ne timeas illum qui videtur ita malus, sed cave ab illo qui videtur sanctus.’ Et docet cavere ab hypocritis. » Inde habent apologum et Latine Ioachim Camerarius (1500-1574), *Fabulæ Æsopicæ plures quingentis (...)* (Lugduni, 1571), pp. 378-381 (num. 392 : *Musculus, felis et gallus*), quam paraphrasin a Nicio Erythræo lectam atque adhibitam esse puto ; Franciscus Iosephus Desbillons (1711-1789), *Fabulæ Æsopicæ curis posterioribus omnes fere emendatæ (...)*, II (Mannhemii, 1768), pp. 297-298 (X, 4 : *Musculus, felis et gallus*) ; et Gallice Iohannes de La Fontaine (1621-1695), VI, 5 (*Le cochet, le chat, et le souriceau*) atque Isaacus de Benserade (1612-1691), *Fables d'Ésop en quatrains (...)* (Parisiis, 1678), num. CXVII ; et Italice Iohannes Maria (sive Marius) Verdizotti (1525 – ca. 1600), *Cento favole morali (...)* (Venetiis, 1570), pp. 70-73 : *Del topo giovine, et la gatta, e'l galletto*.

COLLOQVIVM CVM MONACHO QVODAM IN MONTE ATHO VIVENTI

– a Samio Jansson relatum –

Colloquium infra relatum recepi apparatu minidiscali
Ca. d. XVII Kal. Aug. anno MMXI in insula Anatis
(*Sorsansaari*) Sancti lacus (*Pyhäjärvi*), qui in Carelia
Finnica secatur fine statuto inter orientalem Finnam et
Russiam. Monacho, qui mecum verba fecit, affinis
(sororis maritus) sum. Ipse petivit, ne nomen eius in
symbola hac patefiat, quocirca eum hic voco simpliciter
patrem. Pater vitam sæcularem reliquit quindecim
annos ante, sed ante quam e Finnia vanuit, duarum
filiarum pater carnalis factus est. ¹ At nunc, cum filiæ
iam adultæ sint, maiorque ex eis iam infantem filium
pepererit, ac etiam iunior gravis sit, pater censuit
tempus adesse filiabus occasionem præbere, ut dicant
ei plane omnia, quæ ardenter sub multis his annis
cogitabant, dum ipse Deum serviens in monasterio
versabatur. Etiam photographema, in quo vultus eius
pateret, pater hic addi interdixit. Nihilominus addere
cupio quoddam photographema, in quo videtis patris
vestitum monachalem in reste desiccandi suspensum.
Pater enim prima luce ad locum quendam in lacu, quo
pisces feliciter in rete piscatorium natant, cum suo
ipsius patre (socero meo) navicula advecti sunt, sed
paullo post pluvia inopinata permafacti revererunt,
et madida vestimenta suspendere debuerunt. Quod ad
colloquium attinet, re ipsa bis collocutus sum cum
patre, nam iam mense Maio, cum primum convenimus
inter nos in Anatis insula, oblitus eram accumulatum
inserere in microphonum meum, dum de rebus theologi-
cis disputabamus, et proinde nihil plane in minidisco
recepi. Mater patris (mea socrus) hoc audiens dixit
Deum manifesto impedisse, quominus colloquium in
minidisco servarem. Ita colloquium theologicum infeli-
citer perditum est, sed memor sum, quibus de rebus
disputaverimus, et illa sine documento audibili possum
recordari, quod faciam in fine huius symbolæ. Hoc in
colloquio, quod sequitur, de rebus quotidianis sermo-
cinor cum patre.

SAMIUS. Qualis est dies profestus et nox tibi in
monasterio?

PATER. Hem, ergo – expergiscimur circiter secunda
aut tertia hora post mediam noctem et inde usque ad
quartam horam Deum precamur solitarii in propriis
nostris cubiculis. Talis enim est regula precandi – quot-
tidie nonnullas preces recitamus. Et plurime recitamus
Iesus Christi precem, quæ dicit « Domine Iesus
Christe, miserere mei peccati ». Est enim precatio simp-
plicissima quæ omnia fere in se continet. Eam reci-
tantes debemus etiam nos prosternere in terra, et
geronte benedicente singuli nostrum hoc, prout vires
permittunt, facimus. Quo facto si otium superest,

deinde plerumque pro variis hominibus ibi precamur
solitarii usque ad horam quartam. Tunc in ecclesia inci-
pit liturgia communis divina ad horam octavam durans.
In liturgia divina cantamus, recitamus turaque damus,
et ego, qui diaconus ordinatus sum, diebus festis debeo
ad liturgiam sacerdote duce exsequendam administrare.
Deinde circiter hora octava sumimus valde simplex ac
inofficiale ientaculum, quod tempore ieiunii simpli-
cius, alias autem solidius est. Et deinde aliqui patres
parumper requietum eunt, nam respectu negotiorum
vel munerum obœdientiæ, sicut ea vocamus, alii patres
directe ad operas suas, alii autem in cubiculum suum
recedunt, ut ibi horam vel paulo diutius requiescant.
Deinde totum fere diem omnes occupati sumus variis
muneribus obœdientiæ usque ad tertiam circiter post-
meridianam horam. Aliqui opus faciunt etiam diutius,
ad quartam etiam horam si agenda eorum negotia hoc
eis postulant. Quarta denique hora tempus est cenæ.
Iam tamen prima hora postmeridiana atriensis noster
mensam cibis parat, ut eis, qui hoc cupiunt, liceat pau-
lulum quid recreans sumere. Sed hora quarta demum
cena principalis diei, ut ita dicam, directe sequitur
divinam liturgiam et velut pars est liturgiæ, nam inter
cenam etiam recitantur biographiæ aut præcepta
patrum ecclesiæ. Tum igitur silentes comedimus et
auscultamus recitationem. Cena durat circiter dimidiam
horam, et pater Ephraim noster, princeps monasterii,
tum sæpe verba facit de aliqua re fratribus – nos enim
semper cenamus omnes una cum peregrinatoribus, et
ipse sæpe ibi inter cenam facit orationem, quæ bene
potest durare usque ad ultimum quadrantem de quinta
hora. Deinde quinta hora incipiuntur sacra verpertina,
quæ diebus profestis durant de quinta ad septimam
horam, festis autem diebus valde sollempniores diutius
durant. Et sacris peractis hora circiter septima fratres
sensim requietum recedunt ad cubicula sua. Ibi
requiescunt et legunt aut suis ipsius studiis aut mino-
ris ponderis occupationibus operam dant. Multi nos-
trum tunc perficiunt varia munera diei nam eo tempo-
re adhuc solis lumine permittimur negotia agere.
Deinde hora circiter nona vel decima plurimi patres
eunt cubitum. Talis igitur est cursus ordinarius diei in
monasterio.

SAM. Qualis est dies festus in monasterio?

PAT. Omnia festa aguntur per divinas liturgias. Inde
sacra istis temporibus sollempnissima sunt. In ecclesia
orthodoxa et præcipue festis diebus sacra quam divitis-
sima sunt et sub singulis sacris leguntur certæ propriæ
scripturæ. Singulis etiam diebus festivis sacra inter se
diversa peraguntur. Exempli gratia, Christi die natali
sacra valde magnifica sunt, et sacra pernoctalia vocan-

tur, quamvis haud per totam noctem durent – octo dumtaxat horas, dicam. Tunc vespertina sacra haud separantur a matutina, sed plerumque hora nona vespertina incipiuntur..

SAM. Perpetuone sequuntur sine ullo intervallo ?

PAT. Ita vero, sæpissime...

SAM. Qua ratione valetis tam diu ? Nonne interim licet aliquid comedere ? Certe tandem esuritis ?

PAT. Non solemus comedere inter breviora sacra...

SAM. Sed si durant octo horas ?

PAT. Immo sex durant et dimidiam.

SAM. Ergo finiuntur dimidia ante quartam, nonne ?

PAT. Recte dicis, dimidia ante quartam. Cantamus tum hymnos ordinarios sollemnioribus melodiis, et Græci morem habent admodum mirum, ut quo sollemnius cupiant canere hymnum, eo lentius canunt. Traditio vero Russica est diversa, nam orthodoxi Russi solent celerius et hilarius canere. Est res singula, qua traditiones inter se differunt. Festa igitur celebrantur sacris peragendis, preces recitando, quo facto fit cena paulo sollemnior quam ordinarie, sub qua omnes una cenamus et auscultamus dum aliquis nostrum legit præcepta sanctorum patrum.

SAM. Qualia sunt Natalicia apud vos ? Portatisne abietem nataliciam in exedram et accipitisne etiam dona natalicia a pappo natali ?

PAT. Hahæ ! Nobis monachis nullus est mos istiusmodi, sed advenit re ipsa consuetudo similis ex aliis rebus publicis Europæ in Græciam, sed non adhibemus abietem nataliciam in monte Atho neque generatim quidem orthodoxi istum morem colunt. Sed sæpe vulgus Græcus Natalicia colit abiete natalicia sibi decorando, quamvis iste mos eis haud magni significet. Maioris fortassis momenti est traditio quædam trium regum – sic in Russia ut in Græcia pueri parvi circumambulant et domus hominum visitantes canunt cantiones, quæ attinent ad traditionem nataliciam. Omnibus in rebus publicis orthodoxis omnes pueruli die natali Christi vicum totum cantiones natalicias canentes circumeunt. ²

SAM. Sed dona natalicia non tribuuntur ? Ne antea quidem apud vulgum Græcum ?

PAT. Nulla. Temporibus antiquioribus nulla dona, sed hodie fere ubique in Græcia tribuuntur dona natalicia, quod effectus verisimiliter est pervulgationis commendaticiæ. Antea talis mos visus esset valde alienus sub Nataliciis, sed similis fere mos colitur sub festo novi anni, in enim rebus publicis orthodoxis iste mos originem trahit ex festo Sancti Basilei Magni. At istiusmodi traditiones sunt fabulæ, quæ nihil attinent ad præcepta ecclesiæ. Mos dona tribuendi non ad Christi diem attinet natalem, sed potius ad tales viros sanctos, qui clam



pauperes adiuuabant clementiaque mirabili sua quam maxime illustrati erant, ad Sanctum Basileum scilicet et Nicholaum, qui sic in Oriente ut in Occidente amatissimi sancti sunt. Inde trahit suam originem mos dona tribuendi. ³

SAM. Etiam velim te rogare aliquid de cæremoniis orthodoxis, nam iam puer in eisdem animadverti aliquem, qui liturgiam divinam moderatur quique etiam turibulum ante se manu reciprocans penditat.

PAT. Turibulum – ita, si cæremonia maxime est sollemnis, plerumque a diacono turibulum agitur, absente autem diacono hoc a sacerdote fit. Nam sacerdos semper liturgiam exsequitur, et ipse agit turibulum, si diaconum non habet auxilio. Alias turibulum a diacono agitur, nam munus diaconi primi gradus locum tenet in curriculo sacerdotis orthodoxi, ac diacono quamquam non licet sacramenta ecclesiæ exsequi, sacerdotem haud raro quidem in sacris exsequendis adiuuat. Ita diaconus re ipsa est minister sacerdotis. Sic igitur aut sacerdos aut diaconus turibulum agit.

SAM. Quid inest in turibulo ? Tus ex quo factum est ?

PAT. Tus – illud cedri ex arboris resina diversisque e materiis odoriferis miscendo factum est. Traditio tus fumandi orta est iam temporibus Testamenti veteris...

SAM. Et quomodo incenditur istuc tus ? Assulisne flammiferis in sacrario ecclesiæ ?

PAT. Ita vero, nam primum in turibulum funditur vitis cinis, qui deinde incenditur facillime, nam isce cinis flammifer est. Cinis igitur parvo candelæ segmento incenditur, quo facto resina turifera, quæ antea in frustis secata est, spargitur super cinerem, ubi eadem resina liquescit, fumat, dulcemque odorem diffundit. Et idem odor etiam hoc momento temporis hic potest sentiri.

SAM. Sentio, ergo tu huc tus tecum portasti.

PAT. Certe portavi. Et si cupis, licet tibi narrare istac in symbola me nunc operam dare ad arulam turicremam construendam, ecce enim specimen quoddam simplex. [Monstrat arulam e filo ferreo factam.]

SAM. Quid ad alia festa, nempe paschale et Sancti Iohannis festum, epiphania?

PAT. Libenter etiam de eis narro – sub Nataliciis causa celebrandi est Christi dies natalis, et tunc recordamur memoriam Christi ortus. Sub Epiphaniis – hmmm – oblitus sum, qua de causa tunc celebretur in ecclesia Occidentali.

SAM. Tunc secundum traditionem vulgarem finem capiunt sollemnia Natalicia et abies foras deportatur.

PAT. Res simplex videtur, at sub epiphaniis festum haud magni momenti celebratur in ecclesia orthodoxa. Etiam apud nos finis est Nataliciorum, nam nulla festa magna unum diem celebrantur solum, exempli gratia Natalicia et Paschalia – festa Christi ortus et resurrectionis dierum plures dies durant. Ergo dies festus, dum Natalicia finiuntur, vocatur Epiphania. Tunc cantica Natalicia repetuntur. Sub Paschalibus festis celebratur Christi resurrectio, quæ causa celebrandi maximi momenti est ecclesiæ orthodoxæ. Maximi momenti est, quia Christus mortuus est resurrexitque propter peccata generis humani. Ea ratione genus humanum suis peccatis purgatum est.⁴ Ita facultas nobis feliciter data est ex morbo spirituali convalescendi. Itaque, nostra potissime interest festum Paschale, nam quod peccatis sic purgati sumus, salvationis fundamentum hoc est animæ nostræ. Ita Paschale festum nobis est maximum festum lætitiæ, et quadraginta dierum ieiunium antecedit, quod tempus est pœnitentiæ.

SAM. Quales victus sub ieiunio licet sumi? Nullostris?

PAT. Hahahæ! Immo quotidie comedimus, nam ieiunium minime significat temporis spatium quo plane nihil ederemus, sed potius ut sic demonstramus pœnitentiam, non omnes victus edimus, aliquid enim tunc alimenti generis ex indice ciborum nostrum excludimus. Die severissimo ieiuniali nihil nisi olera et sine oleo quidem parata comedimus. Aliqui dies ieiunales minus severi sunt, ut sub longo ieiunio Paschali, dum Sabbatibus oleum licet addere in olera. Tunc in rebus publicis Mediterraneis regula ieiuniali etiam animalia aquatica comedi permittitur. Sub diebus præcipue festivis magni ieiunii piscem quoque licet comedi. Diebus quidem deieiunalibus præter piscem etiam alimenta lactea et carnem sumi licet. Sed addendum est nos monachos numquam carnem comedere.

SAM. Quid ita?

PAT. Hoc idcirco fit – nam non agitur de ea re, qua censeremus carnem vel quemcumque victum foedum esse, sed hoc est monachorum munusculum Deo, sic enim Christo luxuriam parvam dono damus.⁵ Et præterea, caro talem effectum habet in corpore humano, ut incommodo nobis sit, nam carni esus nihil prodest ad vitam asceticam. Immo ille potius excitat quam extinguit cupiditatem carnalem.

SAM. Per carnem intellegitis manifesto vaccæ et porci carnem, sed quid ad gallinæ vel piscis carnem?

PAT. Ut antea ni fallor iam dixi, piscis comeditur

eodem tempore quo caro, est enim victus deieiunalis.

Et caro gallinæ pro carne habetur ordinario.

SAM. Et monachi, qui se abstinere ab esu carni, etiamne a piscis esu se abstinere?

PAT. Minime, nam piscem edimus diebus deieiunalibus.

SAM. Liquet, ergo deieiunalibus id fit. Sed diebus ieiunalibus ne quidem piscem editis.

PAT. Recte. Omnibus fidelibus orthodoxis exempli gratia et dies Mercurii et Veneris ambo per totum annum sunt dies ieiunales. Tunc igitur omnis orthodoxus debeat se abstinere ab esu carnis et piscis.

SAM. Hmmm – ita diebus deieiunalibus licet etiam lac et ova sumi?

PAT. Certe. Monachi enim carne excepto sumunt plane omnia genera alimenti. Sed multis hominibus, qui in mundo sæculari vivunt, ieiunii usus paulo laxior est, exempli gratia eis qui corporis gravem laborem curant. Sed hæc est res de qua nondum me rogasti, nempe quod omnibus orthodoxis hominibus bene est si habent patrem spiritualem, id est, patrem catecheticum, qui consilia tribuit de ieiunio, et homines gravem laborem curantes numquam dumtaxat absque oleo ieiuniunt, quia oportet laborare valeant. Ieiunium vero parum attinet ad diætam corpus tenuandi, sed ieiunando obœdientia potius monstratur Deo. Est enim præscriptum vel imperium a Deo hominibus mandatum. Primum imperium divinum ad ieiunium re ipsa attinuit, nam Deus prohibuit, quominus Adam et Hava uxor eius comederent fructus ex arbore quadam nobis bene nota. ☩

(Continuabitur)

1. Hac in re, mirum, similiter se gessit quidam Gerardus Goudensis, qui, ante quam votum monachale nuncupavit, seminibus in utero filiæ medici cuiusdam suis deponendis bis effecerat, ut nasceretur puer. Iunior ex pueris Gerardi erat Erasmus Roterodamus nobis bene notus (vide *Melissam* numero 152/MMIX).

2. In Finnia colitur traditio, cui nomen est « Tiernapojat », præsertim septentrionali in urbe *Oulu*. Hæc traditio eadem fere est ac traditio cantandi sub festum Trium Regum, sed in Finnia pueri circumambulant die natali Christi, non Epiphaniis.

3. Hodie quidem divites saltem in Finnia dona tribuunt inter se et pueris puellisque suis, rarissime autem pauperibus. Sic mercatoribus tempus Natalicium maximi momenti est, quod ad rerum venditionem attinet. Itaque, cum opulentes deberent partem divitiarum suarum tradere pauperibus secundum sanctorum præcepta, libentius videntur suæ tradere partem pecuniæ supervacuam mercatoribus.

4. Noli hoc in loco patrem rogare, nonne iniustum videatur innocentem capitis damnare. Nam certe, si homines nefaria committunt, ipsi debent in ius vocari, ut condemnentur, ne quidem aliquis, qui nihil commisit. Difficile igitur intellectu est, cur Deus lepidiorem methodum peccata hominum purgandi non invenerit.

5. Hoc in loco mirus mihi apparuit mos dona Deo tradendi et luxuria Christo. Quid enim dona usui sint Deo? Quid Christus sibi luxurias cuperet, qui ipse nobis persuasit, ut vestigia eius sequamur vitamque simplicem vivamus?

DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (XVII)

CLADES IRREPARABILIS

– scripsit Gaius Licoppe –

Ad successionem Manuelis I fortis miles necessarius est; infeliciter eius filius, a Maria Antiochiæ natus, **Alexius II Comnenus** (1180-1183), tantum 11 annos natus est; eius ergo mater gubernat. Alexius II anno 1180 uxorem ducit Agnetem, Francogalliæ regis Ludovici VII filiam, novem annos natam.

Regens Maria a Byzantinis non amatur, non solum quia originem habet Latinam, sed magis etiam quia consiliarium eligit Alexium Comnenum, Manuelis I nepotem, qui Latinis favet. Populus ægrius ægriusque fert beneficia data 60 circiter milibus Occidentalium, qui Constantinopoli vivunt; hi præsertim sunt Veneti, qui cum totam fere œconomiam in suis manibus teneant, odiosi sunt. Quamquam Manuel I bonas consuetudines cum Latinis facere conatus est, decursu duodecimi sæculi odium inter Græcos et Latinos crescere non desinit. Florent litteræ Latinis infestæ apud Græcos, dum Latini Græcorum ignaviam irrident.

Tunc in scænam apparet Andronicus Comnenus, Manuelis I patruelis, qui una cum eo in aula educatus est, sed per totum eius regnum ita litigavit, ut plerumque fuerit sive in carcere, sive in exsilio. Occasio ei videtur bona throno potiundi; quare exsul in Asia Minore exercitum colligit, quocum anno 1182 obsistentes Nicomediæ vincit ac Constantinopolin prope- rat. Eius adventu incohatur magna Latinorum cædes. In viis et domibus trucidantur, eorum vici incenduntur, sacerdotes in ecclesiis comburuntur; quattuor milia eorum Turcis venduntur ut servi.

Andronico nemo iam resistere valet. Consiliarii Alexii oculi avelluntur, Maria Antiochiæ strangulatur et anno 1183, populo plaudente, coimperator fit, **Andronicus I Comnenus** (1183-1185) vocatus; paulo post Alexium II etiam iubet strangulari eiusque viduam Agnetem uxorem ducit. Andronicus I est bonus rerum publicarum administrator; præcipue curat ut pauperes et agricolæ iam non vexentur arbitrariis vectigalibus. Hoc tamen non omnibus placet, nobilibus præcipue, quorum rebelliones Andronicus I magis magisque crudeliter reprimit.

Contra Manuelis I consuetudinem, Andronicus non solum iam non favet crucigerorum civitatibus in Oriente, sed pactum facit cum Saladino (*Salab ad-Din*), cui auxilium promittit ad crucigeros expellendos.

Anno 1185 Vilelmus II Siciliæ, Normannorum exercitu in Illyricum exposito, Dyrrachium primum expugnat, postea Thessalonicam. Constantinopolis tunc timore agitur atque Andronicus I omnes æmulos necare vult, inter quos numeratur Isaac Angelus, Andronici I consobrinus Alexiique I Comneni pronepos; qui sicarium ense perfodit, Sanctam Sophiam

petit et populum ad rebellionem excitat. Quo comper- to, Andronicus I navem conscendit et fugit cum uxore concubinisque, sed in Ponto Euxino reprehenditur et ad novum imperatorem, **Isaac II Angelum** (1185-1195), ducitur, qui de eius sorte statuat: secta manu dextra, imponitur in camelo et sic per urbem complures dies vehitur sine cibo nec potu, dum rabiosa plebs eum omni modo lædit usque ad mortem.

Isaac II etiam peior est Andronico I. Non valet impedire ne potentes nobiles in compluribus imperii regionibus faciant secessionem; inde cogitur vectigalia augere et nummorum pondus minuere. Magistratus, cum mercedem non rite accipiant, pro se ipsis pecuniam e populo extrahunt. Sic celeriter vacuefit ærarium.

Statim ac imperator fit, Isaac II contra Normannos mittit strategum Alexium Branas, qui eos vincit cogitque pacem petere (1185). Victis Bulgaris, Alexius Branas ab exercitu imperator proclamatus Constantinopolin petit et obsidet. Isaac II servatur for- tuita præsentia Francorum, quorum dux Conradus de Montferrat uxorem duxerat Theodoram, eius sororem; ille enim Alexium Branas valet vincere et necare.

Isaac II bellum etiam gerere debet contra inva- dentes Serbos, quos, iuvantibus Hungaris, vincit et repellit (1190).

Bulgari, de vectigalibus nimium auctis querentes, secessionem faciunt et rem publicam sui iuris constituunt (1187).

Eventum vero maioris momenti est tertia cruciata expeditio. Papa Gregorius VIII, statim ac de Hierosoly- mys a Saladini Mahumetanis captis monetur, statuit regnum Hierosolymitanum recuperare; mense Octobri a. 1187 bulla « Audita tremendi » Occidentales christi- anos hortatur ut cruciatam expeditionem iterum faciant.

Primus Fredericus Barbarossa, Sancti Germanici imperii caput, crucem sumit Mogontiaci. Pacto cum Isaac II facto, ut sibi liceat iter pacifice facere per Imperium Orientale in Terram Sanctam, magnum exer- citum per Balcanicas regiones ducit. Tunc mirans videt vias a Byzantinis ocludi; cibaria etiam non præbentur. Isaac II enim fœdus violat, cum aliud fœdus cum Saladino panxerit, quo hic auxilium promittit contra sultanum Iconii¹ (hodie *Konya*), dum Isaac II Frederici exercitum deleat.

Fredericus, cum comperit suos legatos in carcerem coniectos esse, valde irascitur; eius exercitus Byzantinos facile vincit, Thraciam populatur ac Constantinopoli appropinquat. Territus Isaac II omnia concedit, legatos liberat, sinit Frederici exercitum Asiam Minorem per Hellespontum petere (1190); per- fidiose tamen Saladinum monet de exercitus motibus.

Fredericus iter facit per sultanatum de *Rum*, sultanum profligat et Iconium expugnat. Inde per pylos intrat in Ciliciam, ubi Armenii eum grate accipiunt, et pergit ad Syriam; iam tremunt Saladini mahumetani, cum Fredericus inopinanter perit, dum fluvium *Saleph* transit (1190). Hic est finis expeditionis; exercitus enim sua sponte dissolvitur.

Reges quoque et Franciæ, Philippus II Augustus dictus, et Angliæ, Richardus I, qui a Francis cognominatur Cor Leonis, crucem sumunt, sed uno demum anno post, quia inter se decertant de successione Eleonoræ Aquitanæ (quod initium est Belli Centum Annorum). Mense Iulio anni 1190 ambo Vizeliaco (h. *Vezelay*) proficiscuntur, viam maritimam eligentes.

In itinere classis Richardi I tempestate quadam deflectitur ad insulam Cyprum, quæ ab Imperio Orientali ante quinque annos secessionem fecit duce Isaac Dukas Comneno. Cum Isaac duas naves Anglicas ad litus compulsas diripi siverit, Richardus I exercitum exponit, Isaac aggreditur, vincit et capit; Equitibus Templaribus² vendit insulam, quæ Imperio Orientali numquam restituetur.

In Asia Minore Lydia etiam secessionem facit, duce Theodoro Mancaphas; is victus confugit ad sultanum Iconii, quocum Byzantinas provincias diripit. Tandem, maximo pretio dato, imperatori traditur. His eventis demonstratur Isaac II magis magisque impotentem fieri.

Anno 1195 Isaac II throno pellitur et excæcatur a fratre, qui imperator fit Alexius III (1195-1203). Statim Alexius, Isaac II filius, in Germaniam confugit ut auxilium petat a Philippo Suebiæ, qui sororem Irenam duxit uxorem. Philippus est filius Frederici Barbarossa, cuius cruciatam expeditionem participavit; bene recordatur continuas rixas Germanorum cum Byzantinis et cogitat Alexium inthronizare fortasse bonum prætextum fore ut Constantinopoli potiatur, de qua re pater iam cogitavit.

Alexius III, animo debilis, impedire non valet ne Imperium Orientale tabescat; continuo fiunt populi motus et conspirationes; multæ regiones secessionem faciunt sui que iuris fiunt, ita ut de Imperio denique vix amplius supersit quam ipsa urbs Constantinopolis.

Anno 1198 papa Innocentius III (1198-1216), qui habetur ut maximus Medii Ævi papa, Christianos hortatur ut quartam cruciatam expeditionem in Terram Sanctam ducant. Principes tamen non respondent; Imperium enim Germanicum rixatur cum papa, reges Franciæ et Angliæ inter se decertant. Nihilominus prædicatio ita succedit ut magnus crucigerorum exercitus constituatur. Duces statuunt, potius quam Terram Sanctam, Ægyptum petere, ubi regnant Saladini successores et quæ maximam potentiam habere dicitur in orbe mahumetano; insuper ibi crucigeri cibaria facilius inveniunt quam in Syria et magnam prædam facere poterunt. Res publica Venetiarum satis frequentes naves armat ad exercitum 30 milium hominum trans-

portandum; inter eas etiam sunt quæ peculiariter constructæ sint ad equos transportandos.

Anno 1202 crucigeri Venetias adveniunt, sed cum multo pauciores sint quam prævisum erat, non satis pecuniæ habent pro tanta classe. Veneti imprimis nolunt eos transportare antequam totam summam petitam dederint; denique Venetiarum dux Henricus Dandolo eis optionem dat differendi debiti, dum Hungaros e portu Zara (h. *Zadar*, in Dalmatia) primum expellant. Crucigeri condicionem accipiunt, tantum ad dedecus æris alieni avertendum, ut semper autumabunt, et, Henrico Dandolo duce, portum Zara expugnant; hoc tamen minus decorum est, quod eum sine misericordia diripiunt, etsi incolæ vexillis ostendunt se quoque christianos esse. Iratus papa Innocentius III Venetos et crucigeros excommunicat.

Bonifatius de Montferrat, quamquam electus est dux cruciatæ expeditionis, naves Venetorum non conscendit, sed potius Germaniam petit, ubi apud Philippum Suebiæ convenit Alexium Angelum. Is multa promittit eis, qui eum adiuvabunt ad adipiscendum thronum Constantinopolitanum. Philippus Suebiæ, qui ægre recordatur contumelias a Byzantinis nuper acceptas, putat Alexium bonum ultionis prætextum præbere. Itaque Bonifatius cum Alexio crucigerorum classem Corcyræ (h. *Corfu*) assequitur. Gaudet quoque dux Henricus Dandolo, cui Alexius occasionem dat Constantinopolis aggrediendæ.

Multa iam diu scribuntur in Occidente contra orthodoxos Græcos; etiam fabulæ Antiquitatis adhibentur: nonne Roma condita est a Troiano Ænea, cuius urbem Græci dolo expugnaverunt? Crucigeri se habent Troianos acceptam cladem Græcis reddituros. Non omnes tamen proni sunt ad alios christianos aggrediendos, sed clerus Latinus urget: nonne orthodoxi Byzantini æque mali sunt ac mahumetani, qui indutias panxerint cum Saladino tempore tertiæ cruciatæ expeditionis? Oportet ergo puniantur.

Alexius sub Constantinopolis mœnia adveniens putat se acceptum iri ut liberatorem; populus vero Constantinopolitanus throni ereptorem anteponit imperatori ab extraneis advecto. Quæ cum ita sint, crucigeri et Veneti statuunt eum in thronum manu militari imponere. Die 5 mensis Iulii a. 1203 crucigeri exponuntur in Bosphori ripam Europæam, unde Græcos pellunt; eodem tempore naves Venetorum Cornu Aureum intrant, in cuius ripa ambo castra ponunt non longe a porta Blachernarum. Ibi semper in armis vigilare coguntur frequentibus Græcorum impetibus. Post tres septimanas, sat multis iam necatis, vix supersunt cibaria; tempus est impetum faciendi.

Crucigeri cladem accipiunt, sed Veneti mœnia maritima oppugnant; sagittarii de summis malis defensores in mœnium fastigio missilibus opprimunt, dum manibus pontes lignei mittuntur in mœnia. Milites et nautæ Veneti compluribus turribus potiri valent, ubi

vexillum sancti Marci erigunt ; nimis pauci tamen sunt, quam ut urbem intrare audeant ; a Græcis paulo post expelluntur. Tunc Græci decernunt aggressores exterminare ; impetu e compluribus portis facto, castra adeunt ; prælium committitur ; quamquam multo frequentiores sunt quam crucigeri, adventu Venetorum recedunt in urbem. Ea nocte pavidus Alexius III in Asiam fugit.

Obstupefacti Constantinopolitani e carcere liberant Isaac II Angelum (1203-1204) quem in throno repouunt, dum de pace legatos mittunt ad crucigeros Alexiumque. Qui æque mirati imprimis caute agunt, postea, bona fide comperta, urbem intrant et Alexius IV Angelus (1203-1204) coimperator coronatur. Crucigeris solvitur pecunia promissa, quacum se ære alieno apud Venetos tandem liberant.

Angelus IV magnum exercitum in Asiam Minorem ducit ad Turcos aggrediendos, una cum Bonifatio de Montferrat eiusque militibus. Maior tamen crucigerorum pars castra prope Constantinopolin non relinquit. Paucis tantum ex eis licet urbem intrare eiusque thesauros admirari.

Aliquid tunc accidit : cum manus Venetorum et Pisanorum in urbe residentium quoddam palatium et synagogam diripiant contraque advenientes milites Byzantinos se protegant vicinas domos incendendo, incendium ex improvise se usque ad mediam urbem non longe a Sancta Sophia extendit. Post tantam cladem a suis concitata omnes Occidentales quindecim milia circiter, mercatores, artifices, nautæ, timentes ne Constantinopolitani ultionis causa accurrant, domos vel tabernas relinquunt festinantes et ad crucigerorum castra confugiunt ; ibi crucigeros concitant ad urbem expugnandam.

Ad quod faciendum prætextus ab ipso Alexio IV datur. Qui, expeditione sine magno successu peracta, Constantinopolin reversus negat crucigerorum duces recipere et promissa compluribus differt. Tunc sex legati ad eum mittuntur, tres crucigeri³ tresque Veneti, qui in palatium Blachernarum recipiuntur, ubi Isaac II et Alexium IV in suo quemque throno magnifice sedentem inveniunt. Male accipiuntur legati, qui discedunt contumeliis vexati.

Inde bellum oritur, quod Byzantini iam paraverunt ; in mœnium turribus posuerunt turres ligneas pellibus ursinis protectas et catapultas disposuerunt in locis, quæ putabant hostes potius aggressuros esse. Viginti circiter naves ligneis armamentis ceterisque rebus combustilibus refertas incendunt et vento secundo motas noctu mittunt ad Venetorum naves in Cornu Aureo stantes. Veneti tamen nautæ valent pletrasque harum navium arcere ; ipsi unam tantum navem perdunt.

In urbe Isaac II magis magisque odio est populo. Ad mensam invitat execrabiles monachos, qui, dum delicatos cibos vorant exquisitaque vina bibunt, cæcita-

tis, chiragræ podagræque sanationem ei promittunt. Mense Ianuario senatus, imperatorum mala administratione iratus, eos deponit eligitque Nicolaum Kanabum (1204) ; is undecim tantum dies regnat, quia Alexius Dukas, cuius uxor Eudoxia est Alexandri III filia, e carcere liberatus cum parva studiosorum manu Alexio IV noctu potitur eumque viginti tantum annos natum strangulat. Alexius V Dukas Murtzuphlus (i.e. cuius supercilia coniunguntur) (1204) in Sancta Sophia coronatur. Paulo post moritur Isaac II, nemo scit quomodo.

Crucigeri, quibus iam nullus est basileus a se inthronizatus, pro se ipsis bellum ferociter gerunt. Equis et cibariis carentes, manu facta vicinum oppidum Phileam petunt, quod duos dies diripiunt. Dum copiam frumenti et armenti secum reportant, Alexius V eos ex improvise aggreditur, sed fugatur et perdit vexillum imperiale necnon sanctam iconem, quam imperatores in bellicis expeditionibus secum ferre solent. Clerici, qui iconem recipiunt, eam valde admirantur ; numquam tam pulchram, tam pretiosam rem viderunt ; ad malum navis actuariæ ligatur, quæ præter litus it, ut Constantinopolitani eam de mœnibus videre possint. Tunc populus Alexium V incusare et relinquere incipit.

Die 9 mensis Aprilis a. 1204 crucigeri primum impetum faciunt ; mœnia scalis inscendere conantur sed repelluntur, pluribus suorum necatis quam Græcorum. Die 12 duæ naves vehementi vento ad litus sub aliqua turri pelluntur. Quo casu fit ut de his navibus scalæ efficacius proiciantur in mœnia ; nonnulli crucigeri irrumpere valent in summum murum, unde turri et porta potiuntur, qua ceteri urbem intrant ; multos Græcos trucidantes progrediuntur usque Alexii V castra.

Intra unum tantum mensem crucigeri Constantinopolin expugnant. ☞

1. Sultanatus « de Rum » vocatus est, quia in Romanorum territorio a Turcis Seldiucidis creatus (1081-1302) occupat partem centralem Asiæ Minoris, quam Byzantini post cladem ad *Manzikert* (vel *Malazgirt*) acceptam numquam recuperare valuerunt. Eius caput initio fuit Nicæa, postea cum a Byzantinis, crucigeris adiuvantibus, recuperata esset, caput translatum est Iconium (h. *Konya*).

2. Totum ordinis nomen Latinum est : Pauperes commilitones Christi Templique Salomonici.

3. Inter hos tres barones est Godefridus de Villehardouin. Ille imprimis missus est Venetias ad tractandam crucigerorum transvectionem in Terram Sanctam. Postea Constantinopolis expugnationem participavit et rem narravit in opere c.t. *Histoire de la conquête de Constantinople*.

DE NOVIS LIBRIS

Olivier RIMBAULT, *L'avenir des langues anciennes. Repenser les humanités classiques*, Presses Universitaires de Perpignan, 2011, 183 p.

Hic liber non solum eos alliciet, ad quos pertinet institutio Francogallica, sed etiam alios, siquidem verum est communem de tradendis linguis classicis politicam in Europa paulatim institui – ad quam rem anno 1991 condita est consociatio Euroclassica.

Auctor non est laudator temporis acti. Conspecto classicæ institutionis discrimine, reditum ad præteritas rationes non prædicat nec timet hodiernis uti philosophicis didacticisve notionibus. Paradoxum notat, quo pædagogi volunt linguas Latinam et Græcam esse « vere mortuas » et ut mortuas tradi, cum discipulis explicent eas potius dicendas esse « antiquas » et adhuc « vivere », sed tantum per linguas modernas. Olivarius Rimbault monstrat linguam Latinam et Græcam, quas comparat cum Hebraica sæculo undevicesimo iterum viva facta voluntate unius hominis, non esse mortuam, sed ita perennem ut neque sit omnino mortua neque omnino viva, ut iam sæculo duodevicesimo dictum est a quodam pædagogo nomine Pisceria.

Lingua autem antiqua manet lingua, eodem modo discenda ac lingua hodierna, quod vix fieri potest si magistro nullo textu uti licet nisi authentico. Hic facere non possumus quin cum auctore cogitemus de egre-

gia docendi ratione Orbergiana, quæ repetitione (matre studiorum, nonne ?) nixa discipulum gradatim ducit ad antiquorum auctorum intellectum.

Olivarius Rimbault non solum cogitat quo modo docendum sit, sed etiam cur adhuc Latine Græceque discant homines in societate, in qua imprimis colitur tempus præsens et successus œconomicus. Hoc loco duo nos tangunt argumenta. Nolumus, ait auctor, linguæ Latinæ proferre utilitatem, sed voluptatem : similiter musicam colere non est utile, sed pretiosum. Eadem metaphora musica opportune utitur, cum dicit discipulos hodiernos Latine studere tamquam si Mozartium adire deberent solum notas legentes, musicam autem non audientes. Altera ex parte profertur antiquitatis perennitas : si Homerus et Vergilius nos hodie adhuc tangunt, causa est quod præter tempora homo manet sui similis.

Olivarius Rimbault, poeta cum sit, poeticam descriptionem novi latinistæ nobis offert (p. 114-117), quam legens unusquisque se studiis classicis statim dicare cupiat ut sibi quoque frui liceat beneficiis poesis et solariæ rationis.

Eodem animo opus concluditur nonnullis carminibus ab ipso auctore pactis, quorum ultimum reverentiam præstat Arthuro... Rimbault.

ISBN 978-2-35412-137-2

DE PRETIO MITVLORVM

– scripsit Alanus Van Dievoet –

Ante sæculum unum cum adhuc egestas et miseria materiales et intellectuales condicio videbatur multis esse normalis, mituli haringique quasi victus a Providentia datus ad pauperiores nutriendos habebatur. Et revera multas vitas humanas tam haringi quam mituli servaverunt quibus sunt gratiæ ingentes agendæ. Caupones, pauperes ipsi, qui tunc temporis pretio minimo haringos crudos aut succulentos sapidosque mitulos in fervidis ollis obtulerunt pauperibus operariis inter benefactores patriæ haud iniuste numerari possunt.

Nunc res mutantur et in cauponis magni pretii

venumdanter haringi mitulique. Qui pater familias, nisi perdives, possit omnibus liberis offerre mitulos (nunc fere omnes insipidos) ?

Quomodo res ad talem statum advenerunt ? Quia nunc piscatores utuntur ingentibus navibus, petroleo vectis, quasi officinis aquatilibus, pro quibus per plus quam unum sæculum erunt debita usura maxima solvenda.

Olim classis frequens centenarum navicularum, ventorum vi motarum sine magnis expensis, satis piscium quantitatem ad omnes nutriendos afferebat.

Qui enim spernunt dona magnorum deorum Æoli et Neptunii solvant pretium. ☞

In hoc fasciculo !

Iuxta Viam Egnatiam (I) [F. Deraedt] p. 1

'De fele ocreata' [Th. Sacré] p. 4

Colloquium cum monacho quodam in monte Atho viventi (I) [S. Jansson] p. 10

De Romano imperio orientali (XVII) [G. Licoppe] p. 13

Bibliotheca Latina p. 16

De pretio mitulorum [A. Van Dievoet] p. 16

Imago tegumenti : aureum diadema in Philippi II sepulcro inventum.

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30. Lectiones incohantur mense Octobri.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

